

contactus etiam alio modo quam per operationem, et similiter et in intellectu beati per modum speciei unitur non per modum agentis.

XVI. Respondetur attributum immensitatis distingui ab aliis attributis, quæ respiciunt res ad extra ratione diversæ formalitatis, vel respectus, quo respicit immensitas creaturas, vel alia attributa, nam alia attributa respiciunt secundum aliquam participationem suam, quæ in eis relucet v. g. justitia in quantum ponit in rebus æqualitatem, et id quod unicuique debetur, misericordia in quantum relevat a miseria, omnipotentia in quantum producit, et præbet esse rebus; immensitas vero, ut tali modo sit in rebus, quibus præbet esse, scilicet, immediate illis assistendo, et conjungendo sibi per immediatam dependentiam a se, per quod fit contactus intimus ad res; quæ formalitas, seu respectus diversus est a formalitate, seu respectu operationis dantis esse, ut præcise correspondet omnipotentia, quia sic solum respicit, producere terminum non assistere, seu tangere. Ad confirmationem respondetur quod respectu creaturarum secundum modum communem habet Deus contactum virtutis per modum operationis, a qua creaturæ dependent, sed ultra hunc contactum communem, potest etiam addere specialem aliquem modum existendi in creaturis, sicut est per unionem sui in intellectibus beatorum per modum speciei, et in humana Christi per modum subsistentiæ terminantis. Sed hoc non pertinet ad contactum Dei saltem communem, sed specialem unionem, de qua dicemus articulo quinto, humanitas autem, et intellectus beati etiam contactu communi tanguntur a Deo, quatenus creaturæ quædam sunt ab ipso dependentes in esse.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVII. Primo, arguitur Deum esse præsentem in hoc loco et immensum secundum substantiam non est denominatio extrinseca proveniens ab essentia creaturæ, sed intrinsece denominat Deum, ergo etiam sublata, et annihilata creatura, quam hic producit adhuc manebit substantia Dei præsens ubi antea erat, nec enim substantia Dei, potest moveri a loco vel amittere præsentiam intrinsecam quam semel habet, ergo illa præsentia Dei non fundatur in operatione, alias cessante operatione Dei cessaret, et sic aliqua intrinseca præsentia Dei posset cessare, et desinere esse cessante operatione. Antecedens vero probatur, nam esse physice, et realiter præsens non potest alicui convenire per præsentiam alienam, sed per hoc quod in se est præsens, vel non præsens; hæc enim minus intrinsece denominatur res præsens per præsentiam, quam esse ubicatum per ubi, vel applicationem, esse autem applicatum, vel ubicatum non est denominatio extrinseca, ergo neque esse præsentem. Et confirmatur, quia operari supponit esse, ergo operari hic supponit esse hic: patet consequentia, quia non potest operari hic supponendo substantiam esse absentem, ergo supponendo præsentem, ergo antecedenter ad operationem convenit substantiæ divinæ aliqua præsentia. Confirmatur secundo, quia Deus antequam aliquid producat, vel habeat substantiam suam ibi præsentem, vel absentem ab illo ubi, seu spatio, ubi rem postea producit. Si erat præsens, habemus intentum, quia hæc præsentia antecedit operationem, licet ex defectu extremi non resultaret relatio. Secundum dici non po-

test, nisi intelligamus Deum non esse, quia quidquid est, alicubi est, et signari potest, quod hic est, vel illic, vel ubique si est immensum, si autem nullibi signari potest, hoc ipso nihil est.

XVIII. Respondetur Deum esse præsentem rebus per contactum suum intrinsecum non absolute, ut in se, sed prout immutat creaturam immutatione temporali, et sine hac immutatione passiva creaturæ, non denominatur Deus habere contactum ad illam. Et sic licet contactus divinus quantum ad entitatem sit aliquid intrinsecum ex parte Dei, tamen quantum ad relationem, et denominationem aliquid extrinsecum supponit, et connotat, et sine tali extremo immutato a se non dicitur Deus habere præsentiam, contactum. Unde nullo mutatio ponitur ex parte Dei, sed tota ex parte creaturæ, quæ tangitur a Deo per actionem immutantem illam non immutantem se, sicut etiam operatio divina, et domini potestas quantum ad substantiam, et entitatem ab æterno est in Deo, sed quantum ad denominationem creatoris, vel agentis, vel Domini, temporaliter ei convenit, quia fundatur in ipsa immutatione passiva rei creatæ, et productæ; quando autem aliquid denominatur applicatum, vel ubicatum, hoc habet per immutationem sui, et non solum per mutationem extremi, cui applicatur, et in quo ubicatur, et ideo non est simile, quia Deus non habet contactum per aliquid intrinsecum immutans se, sed solum immutantem creaturam, quam tangit et ideo Deus semper est in se, non tamen semper in creatura.

XIX. Ad primam confirmationem respondetur quod ut aliquid operetur præsupponitur habere esse, ut tamen operetur hic non est necesse, quod præsupponatur esse hic, sed

sufficit quod concomitanter sit hic. Et ratio est, quia operatio egreditur ab agente, ut existente, non tamen est necesse quod egrediatur ab ipsa præsentia, quam habet cum suo effectu, sed potius præsentia cum effectu consequitur ad petitionem, et productionem effectus. In agentibus autem creatis naturaliter loquendo præsupponitur præsentia agentis, non ad ipsum effectum quem facit, sed ad ipsum passum ex quo facit, et sic etiamsi Angeli per operationem reddantur præsentis, tamen illa operatio prioritate naturæ applicat Angelum passo, quam educat ex illo effectu, licet eadem operatio sit quæ conjungit passo, et quæ facit effectum. At vero respectu Dei, cum nullum sit subjectum, seu passum præsuppositum, quod non sit etiam effectus, non potest præsentia in Deo antecedere.

XX. Ad secundam confirmationem dicitur, quod ante operationem Deus non erat præsens positive, et formaliter ibi, ubi postea producit, quia ibi nihil erat ante omnem Dei operationem, solum ergo virtute erat præsens, et in se ipso existens cum potestate, et virtute ponendi ibi creaturam, et immutandi illam. Et cum dicitur, non posse designari, ubi sit Deus ante suam operationem, respondetur designari posse quod sit in se ipso formaliter, extra se vero ubique est virtualiter, et potestative, quia ubique potest exercere præsentiam, et contactum suum, non tamen de facto, et positive est ibi, quia positive non immutat, de quo amplius dicemus articulo sequenti.

XXI. Secundo, arguitur quia vel operatio Dei est ratio formalis habendi præsentiam, et contactum secundum quod tenet se ex parte Dei, et est ipsa substantia Dei, vel secundum quod se tenet ex parte creatu-

ræ. Si primum, ergo antecederet ad ipsam creaturam factam, et immutatam Deus habet præsentiam suam per suam substantiam, atque adeo per suam substantiam Deus dicitur habere præsentiam, quia operatio, ut est substantia Dei antecedit rem operatam. Si secundum, ergo ratio formalis præsentiae divinæ erit aliquid creatum, scilicet ipsa actio ut tenet se ex parte creaturæ, hæc enim non est in Deo, sed in creatura et consequenter libere convenit Deo. Confirmatur, quia Deus non habet præsentiam suæ substantiæ voluntate, sed natura, habet enim illam immutabiliter, ita quod non potest acquiri, nec perdi, sed operationem erga creaturas Deus habet voluntate non natura, potestque adesse, et abesse: ergo non potest fundari in ipsa operatione præsentia divinæ substantiæ. Quod si dicatur ipsam operationem, ut est substantia Dei esse rationem formalem præsentiae, contra est, quia tunc non est magis immediata rebus operatio Dei, quam substantia, et sic ratione suæ substantiæ poterit dici, quod est in rebus.

XXII. Respondetur quod operatio Dei est ratio formalis existendi in creaturis, non præcise ut tenet se ex parte Dei, sed ut infert, et connotat immutationem passivam in creatura, ita quod formalis ratio hujus contactus est aliquid divinum, sed connotatio, seu conditio est aliquid creatum, et immutatum et derivatum a tali operatione, sicut processio divinæ Personæ est etiam missio ipsius ad creaturam non absolute, et ut præcise est æterna, sed ut connotat effectum temporalem in creatura ad quam mittitur Persona, ut dicit D. Thomas infra quæstione XLIII.

XXIII. Ad confirmationem respondetur quod præsentia Dei, et contactus non habetur voluntate, sed na-

tura quantum ad rationem formalem talis contactus, et præsentiae, sed quantum ad connotationem, et immutationem ex parte creaturæ voluntate convenit Deo non natura, et ideo Deus ab æterno non habet præsentiam, et contactum ad creaturas actu, sed potestate, et virtute. Itaque non est præsens Deus denominative, et relative nisi supponendo aliquid voluntarium, scilicet immutationem creaturæ, licet ratio formalis ex parte Dei sit operatio ejus, quæ est ejus substantia, sicut etiam non dicitur creator relative, nisi per voluntatem, licet ratio formalis creandi sit per substantiam suam. Cæterum licet operatio, et substantia idem sint ex parte Dei, tamen operatio in suo conceptu consideratur per ordinem ad creaturas, substantia vero absolute dicitur in ordine ad se et ideo illa habet se immediatius ad existendum in rebus, quam ista.

XXIV. Tertio, arguitur quia Deum esse unitum, et præsentem non fundatur immediate super actione Dei, ergo præsentia ejus, et indistantia, antecederet se habet ad actionem Dei. Antecedens probatur, tum quia Scriptura, et patres quando explicant præsentiam Dei, non explicant aliquam rationem agentis, sed per modum alicujus repletionis, et Sapientiae I: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, et III Regum VIII: *Si cælum et cæli cælorum te capere non possunt*: tum quia aliqua unio datur per quam Deus fit substantiæliter præsens creaturæ, quæ non fundatur in operatione, sicut unio hypostatica, si enim fundaretur in operatione esset communis toti Trinitati, ergo alia est ratio tangendi, prout præcise procedit ab omnipotentia, vel prout procedit ab immensitate, aut ab alio attributo. Primo modo esse non potest, nam per omnipotentiam præcise respicit

Deus creaturas sub ratione effectus possibilis, non autem in ratione distantiae, vel indistantiæ. Unde si Deus per impossibile, tantum esset in uno loco, adhuc haberet omnipotentiam respectu omnium possibilium, nec tamen esset præsens in omnibus rebus. Si secundum dicatur, ergo operatio non est ratio a priori ipsius immensitatis, sed potius immensitas est ratio a priori operationis, et ita oportet explicare quomodo immensitas conveniat Deo ante operationem, si quidem est causa operationis.

XXV. Respondetur quod Deum esse unitum absolute, et quomodo-cumque non fundatur in ratione agentis, sed Deum esse unitum per modum contactus intimi, et illapsivi, quia talis contactus est causæ ad effectum, ut satis explicatum est. Et licet in Scriptura non semper explicetur hæc unio, et præsentia Dei per modum actionis, in aliis tamen locis explicatur, ut ostendimus ex verbis Pauli Actorum XVII: *Quod non longe est ab unoquoque nostrum, quia in ipso vivimus, et movemur, etc.* Et ita quando Deus dicitur replere mundum, et non capi a mundo, intelligitur de repletionem activa, id est, qua facit repleri mundum, de quo D. Thomas articulo sequenti. Ad id vero quod additur de unione hypostatica, jam supra responsum est, quomodo pertineat ad modum particularem præsentiae divinæ, non ad communem qui est immensitatis, et contactus, de quo infra. Ad confirmationem responsum est, quomodo operatio sit ratio existendi in rebus, ut non præcise correspondet omnipotentiae, sed ut fundat talem modum contactus, intime immutando creaturam per concursum universalissimum et influxivum ipsius esse, qui necessario petit immediatum contactum virtutis divinæ, et increatæ, ut supra

explicatum est. Unde immensitas ut contactiva non est causa operationis, sed potius in operatione fundata, quatenus præsupponit operationem, ut est ab omnipotentia, et reddit ipsam operationem contactivam: et sic sub ratione contactus intimi ab immensitate est, et sic immensitas non est ante operationem secundum se, licet sit ratio ipsius operationis, ut contactiva sit. Unde patet, quod immensitas non fundatur in concursu Dei quomodocumque influente in ipsas causas secundas ad suos particulares effectus, quasi determinando illas, et actuando, sed adjuvando ut producant, sed in ipso influxu, quo vel immediate res creat, seu producit, vel immediate conservat res in esse taliter, quod per suspensionem illius influxus res ipsa possit annihilari. Unde magis fundatur immensitas Dei in concursu simultaneo, quo influit esse in effectus, quam in concursu prævio quo determinat causas, quia contactus Dei in tantum est summe intimus, et illapsivus in quantum influit ipsum esse, quod est maxime intimum, concursus autem prævius, seu prædeterminans, qui est in causa, et non in effectu supponit esse causæ non præbet, et ideo non fundat contactum illi ita intimum. Cum autem audis Deum influere ipsum esse tamquam causa universalissima, non debet intelligi, quod Deus producat ipsum gradum entis, non autem gradus particulares, sed debet intelligi, quod sub ratione ipsius esse attingit omne illud, quod participat ipsam rationem essendi, et cum omnia participant rationem ipsius esse, omne quod includitur sub ratione entis attingit actio divina.

XXVI. Quarto, arguitur quia D. Thomas articulo sequenti dicit, quod Deus est in rebus per essentiam, præsentiam, et potentiam, ergo con-

distinguitur modus existendi per potentiam a modo existendi per essentiam, sed existit per potentiam mediante operatione talis potentiæ, ergo existere per essentiam est non existere mediante operatione. Et confirmatur, quia si per impossibile intelligeremus aliquod ens non productum a Deo adhuc ex vi immensitatis esset ibi præsens, ergo antecedenter ad operationem habet Deus dispositionem hujus præsentia. Antecedens patet, quia res illa non producta intelligeretur in aliquo loco, ergo esset intra sphæram immensitatis, quæ respicit omnem locum, et consequenter esse præsens immensitati, ergo et immensitas illi.

XXVII. Respondetur quod ut dicimus articulo quarto quando D. Thomas isto articulo tertio dicit, Deum existere in rebus per essentiam, et potentiam, ly per potentiam non sumitur pro potentia, ut exequente ad extra, sed ut dirigente, et gubernante, sicut rex dicitur esse in toto regno per potentiam suam negativam, sicut ibi se explicat D. Thomas. At vero esse per essentiam est idem atque esse per suam substantiam, non ita quod ipsa substantia sit ratio formalis reddendi præsens, sed sit id quod redditur præsens ut quod, ratio vero præsentia ut quo est ipsa operatio potentiæ, ut physice tangens, et influens, non ut solum gubernans. Ad confirmationem respondetur quod dato illo impossibili Deus non esset præsens illi rei positive post contactum, sed negative, sicut substantia sublata quantitate diceretur præsens loco solum negative non per contactum positivum. Existere autem Deum in illa re positive tam impossibile est sine operatione, sicut rem ipsam existere independentem ab operatione Dei.

XXVIII. Si autem quærat quomodo Deus existat in rebus per ope-

rationem, non vero in se ipso, et in spatiis vacuis, nec videtur debere existere in rebus alio modo quam in se ipso, vel in spatiis, respondetur quod in se ipso non est per contactum, sed per identitatem, et existentiam, contactus enim non est ad se, sed ad alterum, et hic in Deo est per operationem, in se vero est per existentiam. In spatiis vero vacuis non est Deus actu, sed potestate, quia potest ibi creare res, et esse in illis, ut sequenti articulo dicemus.

ARTICULUS IV.

Utrum Deus existat actu in spatiis imaginariis?

I. Esse actu in spatiis potest sumi dupliciter, uno modo comparative ad terminum, cui coexistit, et præsens est: alio modo absolute in ordine tantum ad ipsam rem, quæ est præsens, seu assistens in spatio, non tamquam rei cui sit præsens, sed quia in se est existens, et designabilis in omni parte spatii. Primo modo communiter apud omnes constat Deum non esse in spatiis imaginariis, quasi illis coexistens, tamquam termino suæ præsentia, sicut est in locis positivis, quibus ita Deus assistit, quod realiter terminant ejus præsentiam, ut etiam advertunt Suarez, disput. xxx metaph. sect. vii, n. xxxvii, et Molina hic disput. iii. Difficultas ergo est de præsentia absolute considerata ex parte Dei, non quia relationem præsentia habeat ad spatia, vel spatium relatione præsentia respiciat Deum, sed quia Deus taliter sit præsens, quod in quacumque parte spatii sit designabilis ejus præsentia, ita ut aliquod ens poneretur in illo spatio, etiamsi non fieret a Deo adhuc Deus diceretur illi præsens ratione immensitatis suæ, et assistentia ad spatium.

II. Circa hoc est duplex opinio. Prima affirmativa, quod Deus actu

sit extra cælum præsentia actuali absoluta, et designabili in ordine ad spatium. Ita multi recentiores hujus temporis, Suarez, et Molina, locis citatis; Valentia hic q. viii, puncto ii; Zumel, art. ii, quæstione unica; Fonseca v metaph. cap. xv, q. ix, sect. iv; Conimbricenses, viii physic. cap. x, q. ii, art. ii; Arrubal hic disput. xi, cap. vi, citatur etiam pro hac sententia Ferrariensis viii physic. q. iv, et d. Cajetanus super illud Joannis xii: *Ego lux veni in mundum*, quia non venit in mundum, nisi quod est extra mundum. Licet autem omnes conveniant in hoc, quod Deus habeat absolutam præsentiam extra mundum, valde tamen dissentiant in explicanda ratione, et modo hujus præsentia. Nam Molina absolute existimat Deum esse in spatiis, ita quod si creatura producat ibidem, Deus, et creatura sint simul in eodem spatio. Zumel id explicat per solam negationem, scilicet Deum esse extra mundum, quia non continetur nec limitatur intra universum. Pater Gillius, lib. ii, tractat. ix de immensitate, cap. xviii, docet esse extra mundum per relationem præsentia extrinsecæ respectu cœli, et totius universi, quia exterior illi est, negat tamen in ipsis spatiis esse per præsentiam intimam, ita quod dicatur esse in illis. Denique, p. Suarez ubi supra explicat illam præsentiam per hoc quod Deus adest extra mundum absoluta existentia. Dicitur autem esse in spatiis, quia possumus concipere infinitam præsentiam, nisi designando eam in illa vacuitate infinita: non tamen quod sit in illa, sicut dicitur per æternitatem esse in infinito tempore imaginario, quia per conceptum infiniti temporis explicatur a nobis æternitas.

III. Secunda sententia est negativa, quod Deus actu non sit in spa-

tiis imaginariis, et hæc communis est inter antiquos. Tenet Scotus in i, dist. xxxix, quæstione unica in fine; Bonaventura ibidem, artic. ii, q. i, num. xxii; Capreolus, quæstione unica ad iv; Hispalensis ibidem quæstione unica, ar. iv ad quartum, et communiter moderni Thomistæ ad articulum ii hujus quæstionis, ibi m. Bagnez, Navarrete, Gonzalez, Granados, et alii. Colligitur etiam ex D. Thoma, nam iii contra gent. cap. lxxviii, §. ultimo, inquit: « Deus indivisibilis est, quasi omnino extra genus continui existens, unde non determinatur ad locum magnum, vel parvum ex necessitate suæ essentia, quasi oporteat eum esse in aliquo loco, cum ipse fuerit ab æterno ante omnem locum, sed immensitate suæ virtutis attingit omnia, quæ sunt in aliquo. » Ubi S. Thomas clare excludit id quod imaginantur opposita sententia auctores, quod Deus de necessitate secundum suam substantiam adest spatiis imaginariis, cum expresse dicat non determinari ad locum magnum, vel parvum ex necessitate suæ essentia. Nec dici potest, quod Deus non determinatur ad locum positivum, sed ad creaturam ex necessitate suæ essentia, bene tamen ad locum negativum. Nam contra est, quia si ex necessitate suæ essentia determinatur ad locum negativum, ergo posito loco positivo, id est, creatura aliqua assistente, vel replente illum negativum, de necessitate manebit Deus determinatus ad illum, et ad negativum. Unde solum habebit non determinari ex necessitate essentia ad producendum locum positivum; sed tamen ex vi præsentia ad loca negativa necessario determinabitur ad existendum in loco positivo, semel illo producto, vel etiamsi per impossibile intelligatur non produci a Deo.

IV. Similiter doctor sanctus, in i,